


Hist. Provinc. ac Urb. Sax: ~~1587~~  
F. 11.

1516

*Q. D. B. V.*  
**CONSUL**  
**ET**  
**SENATUS**  
**CIVITATIS**  
**ZITTAVIENSIS**  
*Lectoribus Salutem.*

29.



O. D. B. N.

CONSUL

SENNARTVS  
CIVITATIS  
ZITTAVIENSIS

ponentem Lecturis Saluam.  
Famulo hanc inuigila est. Et cetero seruuas  
quam post exantatos in pulvere scholastico labores  
inde donatus, cum in terris hanc iam tuam cerneret  
spud superos inuictabat, & potest HOFFMANNI  
in his locis inuicta presentia factuam tunc tunc  
ius excellentes ingenii dotes, & acquirat ex literis  
gloria amissa in Wiciso occumbente virtutes feliciter  
restitueret, acas vero uilis ac uegeta tranquillam ac  
que diuinitatem possessionem auspicio pollicetur  
At decollare opinione eius ipse nostra, & quam  
Iuxta hanc acque caduca, quibus vel maxime mortales  
de-



Cerba sunt, & luctuosa Gymnafii noſtra-  
 tis fata, quæ nondum integro luſtri ſpa-  
 tio præterlapſo, geminatam Camœnis  
 Zittaviensibus cladem inferunt, atque  
 ex præoccupato Virorum, qui **RECTO-**  
**RIS** provinciam cum laude ſuſtinuerunt, obitu invidi-  
 oſam ſtudioſæ Juventuti accelerant orbitatem. Quar-  
 tus ad circulum vix inclinavit annus, nec ex animis ve-  
 ſtris, opinamur, **CIVES**, triſtis effluxit memoria tem-  
 poris, quo Virum incomparabilem, Muſarum delictum,  
**CHRISTIANUM WEISIUM**, mortales exuvias de-  
 ponentem lacrymis, & deſiderio proſequeremur.  
 Enimvero haud invidenda erat venerando Seni quies,  
 quam poſt exantlatos in pulvere ſcholæſtico labores  
 rude donatus, cum in terris haud ſatis tutam cerneret,  
 apud Superos impetrabat, & poterat **HOFFMANNI**  
 in Ejus locum ſuſſecti præſentia jacturam reficere, cu-  
 jus excellentes ingenii dotes, & acquiſita ex literis  
 gloria amiſſas in Weifio occumbente virtutes feliciter  
 reſtitueret, ætas vero virilis ac vegeta tranquillam at-  
 que diuturnam poſſeſſionem auſpicato polliceretur.  
 Aſt decollavit opinione citius ſpes noſtra, & quam  
 fluxa ſint atque caduca, quibus vel maxime mortales de-

m. m. q.

de-

delectamur bona, exemplo satis illætabili, magistra rerum experientia comprobavit. Quem enim in amplificandis Gymnafii commodis omni virium nifu occupatum, quem pro liberorum vestrorum educatione infomnes ducentem noctes noviftis, CIVES, ad Libitinae obfequium redegit atra, & infaufa dies, non annis gravem, aut fenio confectum, neque fractum viribus, vel morborum vitio debilitatum, obeundisque officii partibus imparem, fed ætate adhuc florentem, fed cunctis defiderabilem, ex amico Mufarum confortio, ad cœleſtes beatorum animas abire juſſit inevitabilis, ac decretoria hora. Converſa fuit in querelas atque mœſtitiam civitas, fortis ſuæ vim, & inclementiam miſerata, atque de filiorum, in Patriæ decus, & ſpem poſteritatis educandorum fidei inſtitutione meticuloſe ſollicita. Luxerunt Præceptores reliqui, Collegæ, & Moderatoris deceſſum, a quo laborum conſilia in poſterum fruſtra expectarent. Attonitis fuere ſimiles doctrinæ ipſius alumni, velut communis Parentis ope ac providentia inexpectato deſtituti, omnibus uno ore ſanctos Hoffmanni manes in vitam repoſcentibus. Et longiore omnino vita dignus erat, qui alios, ut bene viverent, docebat: ſaluti intererat publicæ, ut ex ejuſ Palæſtra præſto eſſent, qui non eruditione magis, quam probitate, vitæque integritate conſpicui, Rempublicam in partibus ſibi credendis recte aliquando ſapienterque gubernarent; Civium denique requirebant vota, ut flos Juventutis, chariſſima pignora ſua, ſub auſpiciis optimi Doctõris adoleſcerent ad bonam frugem. Ita ſcilicet non ex ſententia noſtra; ſed divino, ac imperſcrutabili conſilio hominum res moderatur, ac dirigit ſupremum Numen, cujuſ ſanctiſſimæ voluntati irreverenter obluſtari impium,

pium, & a rectæ rationis usu prorsus alienum est. Sup-  
plici potius ac devota prece exorandus est, unde  
omnis in adolescentum animos illabitur sapientia, be-  
nignus atque misericors Deus, Scholarum Patronus  
Optimus Maximus, ne extingui patiatur, quas per  
sesquiseculum inter mœnia nostra incendit, bonarum  
artium faces, vel literarum, quas humaniores vocant,  
lumen, ignorantiae tenebris turpiter obfuscarî. Fuit  
sane, quod divino beneficio acceptum ferimus, Gy-  
mnasii nostri ea felicitas, ut ex hac ingeniorum officî-  
na ad Rempublicam administrandam, bonique Civis  
explenda officia nova subinde sufficeretur soboles. Ha-  
buimus Phidias, & Polycletos, qui è quovis ligno Mer-  
curium Patriæ sculperent, qui statuas formarent Me-  
morias illas vocales, quæ variarum scientiarum radiis,  
velut solari jubare collustratæ, sacrarum pariter, atque  
profanarum rerum mysteria olim in Templis & Curia  
eloquerentur. Nostrum proinde fuit prospicere, ne  
partum Gymnasii Zittaviensis decus culpa nostra in-  
tercidat, ne ex neglectu studiorum Respublica quid  
capiat detrimenti, ne ingruente barbarie Civium filii,  
atque nepotes obbrutescant, ne, ut in fabulis legimus,  
è fungis iterum enascantur homines, inutilia terræ  
pondera. Quod igitur felix, fortunatumque, ac rei  
nostræ scholasticæ imprimis salutare DEUS evenire  
jubeat, novum præfecimus Gymnasio DIRECTO-  
REM, D. JOHANNEM CHRISTOPHORUM  
WENZELIUM, Patrum Conscriptorum suffragiis e-  
lectum concordibus, Virum ad promovendas, quæ ab  
humanitate nomen fortiuntur, literas natum, ipsique  
Heliconiæ cohortis Præsidi, ob ingenii vim atque vir-  
tutes egregias amicissimum. Sub ejusdem auspiciis  
floruit hætenus celebratissimum apud Palæopyrgen-  
ses,

les, in Osterlandia Metropolitanos Athenæum, cujus habenas per duodeviginti fere annos prudenti rexit consilio, nec infeliciore successu moderatus est, ut ex Ejus subselliis, velut ex Socratis porticu, vel Academia Platonis prodierint, qui Græcorum atque Latinorum gravitatem cum præsentis seculi elegantis sororio nexu atque vinculo jungentes, varia & multiplici eruditionis copia non minus, quam morum venustate atque gratia distinguerent semet a vulgo. Habet utique ætas nostra, quo ad priscorum simplicitatem temporum se jactet & gloriatur, quod tantis haud amplius obnoxia sint, quibus olim laborabant difficultatibus bonarum artium studia, sed expeditius nunc ad Parnassum pateat iter, postquam in Scholis docendi ratio ad usum vitæ magis deducta est, nec inutilibus tricis, quibus in spem futuræ oblivionis juvenum ingenia obreabantur olim, plurima pars temporis irreparabili jactura perit. Fallimur, aut multum hac in parte debemus WEISIO, atque HOFFMANNO, Duum-viris de literaria Republica meritissimis, qui facilem atque perspicuum literas tradendi comminiscens modum, sua instituendi Juvenes arte id effecerunt, ut ipsorum Discipuli non modo veterum Oratorum & Poëtarum Veneres Romano pariter atque patrio sermone imitentur, sed quod Grajis olim peculiare atque proprium Musa dederat, Germani quoque nunc ore rotundo loqui possint, nec habeat amplius, quod incultam, horridam, atque barbaram vocem genti nostræ, TACITUS exprobraret. Neque tamen in sola linguarum cultura Virorum industria substitit, sed in eo quoque laborem posuerunt nostrates Musagetæ, ut Auditores in tempore assuescerent sobriæ nec simulatæ Philosophiæ fundamentis, atque pro captu ætatis & inge-

inge-



ingeniorum à teneris, quod ajunt, unguiculis præcepta haurirent, quæ ex usu sient ad altiora provectis. Ad imperii quoque patientiam sedulo suos hortati sunt, & ut ferre Superiores discerent, ut debitum Magistratui cultum, ut Patronis obsequii reverentiam præstarent, efficacissimo suo exemplo docuerunt. Abhorrebant enim & detestabantur præsumtuosam illorum licentiam, qui potestatem in Scholis tantum non dictatoriam sibi competere somniant, & Suffeni ad instar sidera ferire vertice credunt, recta monentium consilia Orbiliano supercilio indignabundi despicientes. Itaque cum eandem adolescentum animos formandi methodum felicissimè sequatur Clarissimus WENZELIUS, atque ad Weisianam Doctrinam suas dispenset ac dirigat operas, propterea bonorum omnium calculo dignissimus habitus est ormandæ, quam per mortis violentiam deposuit Hoffmannus provinciæ. Scilicet divinis haud dubie factum est consiliis, ut ii, penes quos cura esset eligendi Successoris unanimesententiarum consensione in Wenzelianas virtutes conspirarent, incerto tamen eventu, nisi quæ fuit Serenissimi Principis Friederici, Saxo-Gothani Ducis clementia, discedendi venia Eidem indulgeretur. Quo quidem in negotio dum Nobis licuit esse felicibus, Scholasticos jam salutavit lares Optimus Vir, posthabitis quæ Ipsum circumstabant, & morabantur difficultatibus longe maximis, Dei potissimum nutui obsecundare ratus, cujus arbitrio stant res humanæ, & fata mortalium dispensantur. Adeste igitur, quotquot ingeniorum vestrorum curam geritis, Juvenes, & in novo hoc studiorum, morumque Directore redivivum Hoffmannum suspicite, & veneramini. Vobis infumetur omnis opera, ut optimis ad humanitatem

tem

tem artibus animi informentur, ut Patriæ ornamenta evadere, ut Reipublicæ aliquando consilio atque doctrina prodesse queatis. Agite, excitate igniculos virtutum, exferite illos bonæ mentis stimulos, qui velut in vagina inclusi latitant, atque iis mature studiis imbui vos patimini, ut Parentes, ut Patriæ Patres, ut omnes quorum interest, vos fieri doctos, atque prudentiæ disciplina subactos, habeant, in quo gaudium, spes, vota, desideria sua erigant & solentur. Decerpente aurea ex Hesperidum hortis mala, habetis qui vos manu ducere velit hodegetam, enitimini ad virtutum fastigia, præsto est, qui monitis & consilio assistat, in viam errantes reducat, vigore ac spiritu laborantes hortetur atque confirmet, optimisque exemplis impellat, & concitet. Præibimus vobis solennitate Majorum moribus recepta, & Panegyri quadam inaugurali vestrum vobis sistemus Doctorem, piis sub ingressum Officii precibus, votisque Civium publicis DEO commendandum. Dies crastinus dictus est, quem IV. Eiduum Aprilis Fasti Romanorum designant, atque proinde Proceres Reipublicæ, literarum Patronos, Fautores atque Cultores pro sua quemque dignitate verbis officiosissimis invitamus, rogamus, atque monemus, studiosis autem adolescentibus injungimus, ut post horam IX. matutinam frequentes in Acroaterio compareant Majori, suæque honorifica præsentia laudabili huic actui lucem ac splendorem scænerentur. P. P. Domin. Palmarum Anno post Christum Servatorem natum MDCCXIII.

---

ZITTAVIÆ,  
LITTERIS MICHAELIS HARTMANNI,

*Invitatio ad inaugurationem novi Rectoris*

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

18. Juni 1934

SLUB DRESDEN



3 2697799

III/9/280 JG 162/6/85

H. Sax F7

